Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1221
Quelle:
Copyright:

ſticae reformator et Abbas *Mellicenſis* O. S. B. in *Auſtria* intra ann. 1420 — 24. ad tradendam in Coenobio ſuo Philoſophiam, Theologiamque laudabiliter invitarat. Diſcimus haec e *Mart. Kropfii Bibliotheca Mellic.* c. XI. a p. 166. ubi etiam *Codices Lectu*ram nostram complexi memorantur. *Fol.* 100. p. 2. contra Neceſſitatem utriusque Speciei eucharisticae fuse disseritur. Sed nempe multa humore corrupta evanuere, ut adeo praeſtet alter *Codex*. Ambit Codicem Membrana ingens Literas *Bonifacii* P. M. ad Epiſcopum *Patav.* ejus Vicarios, Praepoſitum Monasterii S. *Mariae in Nuenberga Clauſtrali* &c. continens, in quibus ad Altare ſancti *Vdalrici* ſitum in Capella *Montis ſanctae Mariae in Chrems* conſtitui videtur *Andreas* quidam; multa enim praeſecta pleniorem cognitionem prohibent.

DXXIX.

U. 584 —93 Codicum Series chartacea Sec. XV. f. partim *Collegio Ducali*, partim *Domui B. V. Mariae Rubeae Roſae* legatorum a celebri Theologo noſtro *Nicolao de Dünkelſpühl* et maximam partem Ejusdem *Commentaria in Librum IV. Sententiarum*, *Aſcetica*, et *Sermones* complexorum. Inſunt tamen etiam quaedam ejusdem argumenti *Henrici de Haſſia*, *Joh. Gerſonis*, *Joh. de Grütz*, *Joh. Nider*, *Henrici de Oyta*, *Rich. Armachani*, quin etiam *Caeſarii Arelat. Bernhardi*, *Anſelmi*, *Richardi de S. Victore*, *Gregorii M. Auguſtini*, quae, quoniam aut typis vulgata proſtant, aut a me jam pluribus *Codicibus* indicata ſunt, eo magis hic per ſaturam lancem referre viſum eſt, quod Exemplaria nec ab antiquitate, nec ab elegantia manus adeo ſe commendant.

DXXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 465
Folior. 287. f. per duas columnas ſcriptus, et rubricis enotatus complectitur *M. Pauli Wann* Commentaria ſcholaſtica in *Librum III. et IV. Sententiar. Petri Lombardi*, et initium quidem prius eſt: *Jam nunc hijs intelligendis Hic magiſter ponit prohemium in tertium et quartum librorum ſententiarum, in quo oſtendit horum librorum materias ſubiectales* &c. Alterum *fol.* 123. *Samaritanus. Hic eſt quartus liber ſententiarum qui ad precedentes libros continuatur ſic. Nam poſtquam in precedentibus libris* &c. Clauſula miniata eſt: *Finitus eſt quartus liber ſententiarum per Magiſtrum Paulum Wann de Kemnat* (Palatinat. ſuper. civitate) *legendo in ſcolis theologorum collegij Ducalis wienne anno 1454. in die ſancte Elizabeth.* Memini alias Viri, qui et in Academiam noſtram beneficus extitit, ut habes in *Locheri Speculo* p. 310. et inter Canonicos *Paſſavienſes* deinceps adlectus urbem illam adoleſcentiae meae inſtitutricem ſacris Sermonibus excoluit, quorum Editiones in *Maittairii*